Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mitte meum: aufer abstrae funditus. quicquid elationis inanis tibi gloriae
indidit appetitus. quod habes ex me. mihi soli humiliter attribue: et ua
de de uirtute in uirtutem proficiens: de bonis ad optima progrediens.
ut is qui puritatis fons incorruptionis est summa. iam tibi conforma
to per omnia sibi. nil subtrahendum censeat de dulcedine sua. Uolo
autem et huic nouissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod uolo facere?
An oculus tuus nequam est. quia ego bonus sum? Uolo inquam extremo
huic et humili idem pietatis beneficium. eandem uisitationis intimae
gratiam prestare quam et tibi. Diues enim sum et locuples. utpote celum et ter
ram adimplens: et totum michi quod uolo licet facere. quia subest cum uolue
ro posse. Sed infirmus tuae mortalitatis oculus ad plenum nequit seru
tari. quam sint inestimabiles meae bonitatis thesauri: ut qui iustis bo
na data dare consueuerim pro eorum iusticiae merito. eadem minus dignis
prestare maluerim pro solo miserationis meae debito. Nequam hic ocu
lus non pro malo uel duplici. sed potius pro infirmo est accipiendus: qui consilia
altissimi peruidere nequeat. et comprehendere ea ex ratione nesciat.
Pia enim conditoris maiestas nequaquam eum maliciae uel duplicitatis
arguit: quem ueraciter amici nomine honorare decreuerit. Sequitur.
Sic erunt nouissimi primi: et primi nouissimi. Reuera conspectis pri
morum meritis. nouissimi fiunt primi: dum eos quorum innocentiam uene
rantur pro posse imitari satagunt. et ad omne uirtutis opus etiam ultra
uires. horum se consideratione extendunt. Sic et primi nouissimorum
intuitu extremi fiunt et humillimi. dum sagaciter pensant. quanto
pondere estimet diuinitas etiam exiguum quod de nouissimorum laboribus
offert humilitas: et tantum in his preciosior est humilitatis deuotio.
quantum et copiosior prius laboris exercitatio. Hac consideratione mu
tua. hac imitatione uicaria. erunt nouissimi primi. et primi nouissi
mi: sic in utrisque partibus perfectionis accrescit cumulus. Sed terribile est
ualde. quod in huius conclusione dicitur parabolae. Multi sunt uocati: pauci
uero electi. Multi quidem sunt qui seculi actibus renuntiantes fiunt nouis